

Q. D. B. V.
DISPUTATIONEM PHILOSOPHICAM
DE
SYLLOGISMI BE-
NEFICIO IN ORA-
TORIA,

IN ALMA HAC LEUCOREA,

SUB PRÆSIDIO

M. JOHAN. GEORG. Neumann/
BELTICIO-SAXON.

*Publicæ Eruditorum disquisitioni
exponet*

JOHAN. CHRISTOPH. USCHNER

Regioponte-Lufatus,
AUTOR RESPONDENS.

A. O. R. MDCC LXXXIII.

Ad Diem XXIV. Novembr.

H. L. Q. C.

VVITTENBERGÆ,

Typis CHRISTIANI FINCELII.

VIII 5.

XII. c.

Lit. Lat.

rec. B.

64, 10.

V I R O

*Nobilissimo, Amplissimo atque Consul-
tissimo*

DN. ANDREÆ

Sahn /

Sereniss. ac Potentiss. Electoris Saxoniae,
Circuli Electoralis & Quæsturæ VVittenbergensis
Præfecto Gravissimo meritisimoq̄ve,

*Domino Patrono, studiorumq̄ Promotori
suo, omni observantia pietatisq̄ cultu prosequendo,*

Academicum hoc Specimen

*In certissimi obsequii pignus, animiq̄ve promptissimi tesseram,
sacrum devotumq̄ve esse jubet*

Deditissimus Cliens

JOH. CHRISTOPH. USCHNER.

§. I. Preliminar.

QVam indivulsò necessitudinis vinculo cum Dialectica conjuncta sit dicendi facultas: cum aliunde satis, tum arguto Zenonis Philosophi exemplo, quod Rhetoricæ studiosis exhibit, commonstratur. Ille enim extensâ manu suâ, quoties digitos compressit, pugniqve composuit formam; Dialecticam dixit ejusmodi esse: Simul ac verò dilatavit manum, artusqve diduxit, palmæ istius similem eloquentiam esse, clarò nec ineleganti symbolo ostendit (a.) Enimverò, sicut indagandæ veritatis studium tradit Dialectica, sineqve ullò verborum apparatu, rudi saltem penicillo rem delineat adumbratqve: Ita hoc contrâ sibi vendicant Rhetores, ut eleganti vocum concinnitate extendant dictionem, verbisqve velut ad amusim dispositis, ordinatisqve & pulchrè conjunctis instruant orationem suam atqve exornent. Cujus rei evidentiam si non digitis, ore tamen & verbis indicat Zenone paulo antiquior Aristoteles, qui sub initium artis Rhetoricæ, conjunctionem utriusqve disciplinæ commendaturus: hoc inter se artes illas differre, dicit, quod altera dicendi ratione latiori, altera contractiori utatur. Cum proinde negotii hujus præstantia ante oculos poneretur & verò aliquod industriæ specimen à me exigent Patroni, quo dignum me redderem sacris aliquando muniis in suggestu obeundis: Hoc maximè argumentum duxi eligendum; quod uti sororium orationis cum ratione nexum ostendit; ita in amplissimo eloquentiæ campo omne tulisse punctum videtur.

§. II. Quod igitur benè vertat, Philosophorum ingredimur cancellos, quorum ductu jacienda est alea, ut firmiori cetera talo recumbant. *Syllogismi* verò numerum anteqvam ineamus, *Propositionum* quoqve, ex quibus immediate conficitur argumentatio, facienda est mentio. Quoniam enim prima Oratoris cura in concinnandâ *Periodo* defixa est, quæ unanimi Rhetorum consensu (β) *πρὸς τὰ σὺν κτλ ἀπόδοσιν*, Aristotele verò iudice (γ) *δεχθῆν κτλ πλεονεχθῆν*, ceu necessaria officia complectitur: In consilium vo-

A 2

can-

(a) Cicero de Perf. oratore Lib. 1. num. 4. (β) Vid. Demetr Phalereus & Trapezuntius à Vossio adducti Institut. Orator. P. II. Lib. 4. p. 59. (γ) Lib. III. Rhet. c. 9.

canda *Propositio Logica* est; quæ dum Subjecto & Prædicato suo cohæret, adeoqve ἡ ἀφελῆς s. simplex periodus audit; brevitatem suam oratori sic commendat, ut in πολὺκωλον, seu compositam periodum commutetur. Exemplo sit brevissimum illud Comici effatum: *Ne quid nimis*. Istud maximus dicendi magister eleganti admodum eademqve δικώλω τῆ περιόδῳ edisseruit: *Et si suus cuique modus est: magis tamen offendit nimium quam parū* (δ) Simili verborum inopia laborat illa *Plauti* sententia (ε): *Est profecto Deus, qui quæ nos gerimus, audit & videt*. Sed copiosior ex ore *Tullii* fluit oratio, quæ dum ultra τετρακώλων extenditur, non periodus amplius sed περιδικὸν simpliciter vocari solet (ζ): *Est Deus in mundo aliquis, qui regit, qui gubernat, qui cursum astrorum mutationes temporum, rerum vicissitudinem ordinemqve observat; terrasqve & maria contemplans hominum commoda vitasqve tuetur* (η). Quæ commutata dicendi ratio pluribus gravissimorum Auctorum exemplis nisi brevitatis legem poneret, ostendi posset (θ)

§. III. Occurrentes verò in ejusmodi propositione Logicâ duo, ut vocantur, termini, quomodo in Periodum convertendi illi sint, videntur. Oratores enim verborum ornatu instructi, vel, ex Subjecto formant Periodi περίτασιν, suoqve ordine ἀπὸδοσιν ex Prædicato; vel inversâ vice Prædicatum in περιτάσεις locum trajiciunt, subjecto in ἀπὸδοσιν permutatō. Ita *Muretus*, quò nemo elegantius post renatas literas, *Heinsio* iudice, scripsit, è x *Logica* hâc propositione: *Theologia Studiosi laudantur, prædicato in περίτασιν translato: istam confecit Periodum: Cum omnes mihi singulari quadam, ac præcipuâ laude digni videntur, qui in assequendâ honestarum artium scientia operam & industriam suam collocant; tum ii præcipuè, qui veluti majore quodam Numinis afflatu perculsi, ceteris omnibus posthabitis, ad divinarum rerum intelligentiam omnes cogitationes suas, atqve omnia studia contulerunt.* (i). Quod si verò ex subjecto componas περίτασιν; eodem sensu τετρακώλος hæc conficitur Periodus: *Quantquam rerum divinarum studium plurimis leve quoddam & exigui momenti negotium videtur, ut adeo cultores ejus insolentem quorundam ignominiam æquè ac contemptum effugere haud queant: Nihil tamen impedit malevolus hominum affectus, quo minus ab æquioribus tantarum rerum aestimatoribus eximi-*

(δ) *Cic. L. I. Nat. D. c. 2.* (ε) *In Captiv. Act. 2. 5.* (ζ) *notante Vossio Inst. Orat. P. II. L. 4. p. 65.* (η) *Lib. I. Nat. D. c. 3.* (θ) *Vid Jul. Poggiani Epistola de Imitatione Ciceronis.* (i) *Vol. I. Orat. I. (κ) Lib. IV, de Invent. c. 3.*

as illi meritasque laudes indipiscantur. Ceterum nonnulli ipsam *Argumentationem* requirunt in Periodo; secuti in eò *Hermogenem*, cui definitur *περίοδος ἢ ἀπαρλιζισσα τὸ ὀπιχείρημα καὶ συνάγασα* (κ) duæque ponuntur conditiones, quarum altera est *ἀπαρτίζειν τὸ ὀπιχείρημα* perficere argumentationem: altera verò *τὸ συνάγειν* in unum locum cogere argumentum. Verùm utut in orbem quasi volvatur oratio argumentumque præ se ferat; connexio tamen dicenda magis, quam argumentatio, quippe quæ in propositione simplici, unde construuntur Periodi, locum non habet. Proinde mens Philosophi evadit clarior, qui positis duabus Periodi conditionibus *τῆ δὲρχῆ καὶ τελευτῆ*: nihil aliud innuere visus est, quam Antecedens cum Consequenti in Periodo conjugi oportere.

§IV. Quum verò propositioni Logicæ adjungitur argumentum, quod *ἀτίαν* Logici, quandoque *medium terminum* vocant: ipsa hinc nascitur argumentatio, quæ mente Vosii *Forma Confirmationis* dicitur (κ). nihilque aliud est, quam perpetua *argumentorum expolitio* ut *Carolus Regius* loquitur (λ). Ex argumentis autem, quæ Rhetoribus *probabilia inventa* dicuntur *ad faciendam fidem*, nolim intelligi alia quàm *λογικὰ* illa & fidem facientia. *Τὰ ἠθῆ* enim quod attinet & *τὰ πάθη* ut in Syllogismum non coalescunt ita argumenti nomine vix insignienda sunt; quod inde manifestum est, quia (1.) argumentorum affectiones potius quam argumenta sunt, spectantque non ad inventionem Rhetoricæ, sed ad exornationem. Nec (2) ex locis materiæ cum generalibus tum specialibus hauriuntur, quod tamen de naturâ argumenti est, indeque loci à *Quintiliano* (u) sedes argumentorum, classesque appellantur (v). Quin imò (3) si invenirentur illa, jam materia inventa moveret, *Quis audebit verò asserere materiam inventam rudemque illam orationis massam movere?* Sanè in Tractatione demum & elaboratione emergunt; ac si vehementiores oratio promit aculeos, *Affectus*: sin suavibus blandimentis Auditorum animos allicit, *Mores* conciliat. Et ἠθῆ quidem ad hodiernum *Insinuationis* artificium referuntur: quod nusquam credo evidentius conspici posse, quàm in iis Galliarum Regum Principumque Orationibus (ut morum suavitate abundat hæc natio) quas A. Thuanus historiarum suarum inseruit nitidoque & eleganti stylo expressit (o)

§. V. Quod si nunc continuo argumentorum nexu cohæret oratio
ubi,

(λ) *In Orat. Christ. L. VI. c. 30.* (μ) *L. 5. Orat. Instit. cap. 6.* (v) *vid. Timpler Syst. Orat. l. 2. c. 3.* (o) *vid. Oratio Caroli IX. in Thuano Tom. I. p. 1015. Henrici III. ad Ordines regni Tom. III. p. 219. it. Ducis Condæ ad milites T. 1. p. 83. &c.*

nti nullus Rhetorum eruditiorum non fatetur: liquido constare oportet, in omni themate conspicuum esse syllogismum, nullamque orationem confici posse nisi ratio quoque seu rationis gubernatrix Dialectica consulatur. Vidit, hoc nec prorsus omisit Rhetorum Princeps Aristoteles, qui *Enthymema & Exemplum* syllogismos vocat $\lambda\epsilon\gamma\epsilon\iota\varsigma$ $\rho\eta\tau\omega\rho\mu\epsilon\kappa\epsilon\iota\varsigma$ (π) additque subinde illud Oratorum discrimen, ut alii $\delta\iota$ $\mu\omega\upsilon$ $\pi\alpha\rho\alpha\delta\epsilon\gamma\mu\alpha\tau\acute{\alpha}\delta\epsilon\iota\varsigma$, alii $\delta\iota$ $\delta\epsilon$ $\epsilon\upsilon\text{-}\Sigma\upsilon\mu\mu\eta\mu\alpha\tau\iota\kappa\omicron\iota$ dicantur. Fabius etiam Romanæ censor eloquentiæ capite non uno de argumentandi ratione apud Rhetores tractat, (ρ). Ipse Tullius, qui omnes eloquentiæ numeros explevit, cum in Topicorum libris, tum in *perfecto*, quem Bruto inscripsit, *Oratore*, Syllogismi artem magna diligentia evoluit. Verum quod Petrus Ramus summi Vir acuminis conquestus est (σ) usus Syllogismi in Oratoriâ satis non ostenditur. Enthymematis enim & Exempli utut aliquam aperiant utilitatem; reliquorum tamen vel nullam prorsus vel exiguam *perfecto* mentionem faciunt. Unde est, quod Ciceronem suas ipsius Orationes examinare jubet Ramus ac futurum sperat, ut in omnibus ejus orationibus ac Dialogis, syllogismi artificium, si non prima fronte, $\kappa\alpha\tau\prime$ $\acute{\alpha}\nu\alpha\lambda\upsilon\sigma\omega$ tamen erutum occurrat. (τ)

§ VI. Quo consilio adductus celebris superiori seculo Polyhistor $\text{J. Thomas Freigius}$ in omnes Ciceronis Orationes $\acute{\alpha}\nu\alpha\lambda\upsilon\sigma\omega$ Logicam tantâ perspicuitate confecit, ut judicium ne an industria sit admiranda magis, incertum videri posset, & fatetur verò (υ) nihil in toto Cicerone tam admirabile & magnum, quàm Logicam illius inventionem, & quâ prorsus obstupesceret, Dispositionem reperiri. Nec minus in hoc argumento encomium assecutus est *Chr. Schraderus* Juliæ quondam Academiæ lumen, cujus opera idem in Synthesi Logica quod in analysi præstitit Freigius, susceptum est: eoque majoris habentur pretii themata ejus Epistolica, quod regulis ex Aristotele depromptis accommodavit epistolarum singularum œconomiam. Utiverò Enthymematibus solùm explicandis omnem conclusit operam: ita optandum fuisset, ut, quod *Michael Radau* (ϕ) aliique non infeliciter moliti sunt, integri quoque Syllogismi in dirigendis epistolis usum inculcasset.

§ VII. Premenda igitur sunt quibus insistimus, Logicorum vestigia, ac oratori æquè ac Dialectico invictæ, quantum fieri potest, probæque for-

(π) *Lib. 1. Rhet. c. 2.* (ρ) *vid. lib. 5. instit. orat. c. 10. & lib. 8. c. 4.*
 (σ) *Schol. Rhet. lib. 3. p. 210.* (τ) *vid. Ramus Schol. Rhet. lib. 3. p. 209. seqq.* (υ) *in præf. ad orat. Ciceronis p. 3.* (ϕ) *Orat. extemp. P. 1. c. Qu. 3. Item P. R. Balbinus in Quæf. orat. passim.*

mae argumentationes adhibendae. Nam fraudis certe vel inscitiae simulatur, qui his & similibus nugis fidem se facturum credit: *Simon est Gracus & Simon est insidiator E. omnes Graci sunt insidiatores: non aliter enim concluderet ac Aeneas colligere jubet apud Maronem: Accipe nunc Danaum in sidias & crimine ab uno disce omnes.* (X). Equidem ἀπόδειξις quandoque gravi supercilio negligere Orator potest, non quod prorsus eadem abstinendum illi sit: cum themata nonnunquam maximis obstructa difficultatibus probare aequè ac confutare teneatur; sed quod ad faciendam fidem, quam sibi proponit unicè, argumenta πρῶτα sufficiant, speciem quandam indubitatae certitudinis praeseferentia (ψ). Certè Dilemma ipsum, quod firmisimum alioqui concludendi genus est, patiuntur aliquando ἀσυνλογισίας vitio laborare. Sic cum reformati per Galliam juramento se obstringerent, nunquam se arcana esse revelaturos; responsum ab adversa parte hoc Dilemmate est: *Vel obsequium & fides Regi debita in secreto continetur, vel perduellio: Si obsequium & fides, quare secreta sunt, quae gratiam promerebuntur, si perduellio, ergo perduelles estis.* (ω) Sed enim non stringebat reos argumentatio, nam consistere una potest obsequium & suspicio, quamdiu Regem trahunt gratiosi, tacentibus aequè & loquentibus iratis, adeoque Antecedentis subsumptio ulteriori indigebat probatione.

§. VII. Imperfectos autem, quos vocant argumentandi modos, non adeo, quam perfectorum rationem constitui exponere. ENTHYMEMA praecipuum est, cujus utilitas *Causino* omnium optimè perspecta fuit; cui ἐνθυμημάτων εὐπορεία, inventionum foecunditas sermonisque uberrima facilitas appellatur (:α): nec veriori nomine illud insigniri posse eximo, quam quo Fabius dixit, qui Enthymema sensu Rhetoribus communi, *argumenti elocutionem* vocat. (β). Nam in exemplo hujusmodi: *Præceptor excoluit animum E. honorandus*, conclusio ἀπιολογίαν declarat veluti atque proloquitur. Si quis autem plenius eloqui hoc enthymema velit, ope particularum connectentium sic procedet: Equidem parentibus, qui post Deum vitam suaviterque vivendi media subministrarunt, multum debeo: at verò qui studiorum meorum fidelem se perpetuumque ducem exhibuit; eò majori afficiendus honore est, quantum animus corpori & vita rectè instituta, vitae ipsi praefertur.

§. IX.

(X) 2. *Aeneid.* v. 340. (ψ) vid. *Quintil. Instit. orat. lib. 1. c. 17. p. 69.* item *Vossius instit. orat. lib. 2. c. 2. p. 7.* (ω) *Gramondus Hist. Gall. l. 2. p. 370.* (α) vid. *Causin. in. Eloqv. Sacra & pr. p. m. 342.* (β) *lib. V. or. c. 14.*

§ IX. Sed operæ precium est ex integro orationis corpore Enthymematū ostendere nexum, quod facili negotio expeditur, si in priorem, ex qua orta est, massam redigatur. Q. Curtius cujus historiā lectā Alfonso Arragoniæ Rex cum diu ægrotasset, convaluisse dicitur (γ) Scythæ Legati concionem coram Alexandro habitam recenset, ex quā luculenta Enthymematum series dispalescit. Thema hoc tractat: *Cum Scythis pax colendā.* cujus argumenta sunt: (1) *ab impossibili* Quia Alexander plura cupit quàm capit E. (2) *ab injusto.* Quia nec læsimus Alex. nec terras ejus attigimus: (3) *à periculoso;* Quia & nobis concessæ divinitus vires unde terreamus hostes. (4) *à difficili,* quod triplici ratione probat, quia è victoria bellum nascitur; quia alienigenam dominum nemo tolerat; quia terra Scytharum longissimè patet. (5) *à Tuto:* Quia fortuna manibus prehendida, dum occasio capillata est. (6) *à Decoro,* quia homo mutuo amore alios complecti debet. (7) *ab Utili* quia amicitiam colemus impotestatem, & contra hostes conjunctis viribus pugnabimus &c. (δ) Quæ oratio generis Deliberativi est, nec obscure τὰ ἡθῆ καὶ πείθει continet, quibus & personam suam commendat Barbarus, & amoris benevolentiaque conciliat affectum.

§. X. Et istud quidem orationis genus dum accuratius perpendo, succurrit quod ex Victorino Isidorus tradit; (ε) Enthymema quoque ex utraque propositione præmissa constare; suppressâ, velut omnibus notâ, conclusionem. Timendum enim, ne aliquando in ἀνωγειοῖς potissimum orationibus nauseam moveat iterata sæpius ac sine argumentis adducta conclusio. Elegans ad modum & plenissima affectuum oratio est, qua milites erexit Job. Fridericus Sax. Elector contra Imperatorem sese defensurus cujus thema: *Pugnandum est.* (ζ) Hic frustraneum fuisset pugnae semper meminisse, quippe militum oculis jam expositæ, inde ommissa conclusione, enthymemata collegit Orator (1) *à Justo.* Religionis causa hoc agitur; Vos religioni huic dediti estis E. (2) *à Facili.* Pontificis Romani astu hæc fiunt: sed ejus machinæ Deo sunt invisæ E. (3) *à Glorioso* Servitus morte pejor, sed vobis imminet servitus E. (4) *à Possibili* vicimus nuper Dei auspicio, idem nunc speramus E. Ita ad mentem summi Historici expressa est concio, ubi non dissimulo, quod Aristoteles observat

(γ) Teste Panormitano Apophth. Alphons. p. 66. (δ) Curt. L. VII. c. 8. Clar. Schalles orationem Legati Persici Curt. I. 4 c. 11. peculiari Diss. ad eadem principia revocat, (ε) Lib. II. Orig. 5. 9. (ζ) cx Thuani. Tom. 1. p. 76

servat, alia *Φαινόμενα* esse enthymemata, alia verò ἀληθῶς ὄντα (η): diligenti enim studio opus est ad detegenda corpora, quæ decorò facundi Oratoris vestitu sunt exornata (θ)

§. XI. Ceterùm existimant nonnulli, Enthymema quandoque totum habere partes, quot perfectus Syllogismus: ita ut *quadripartitus* ceu loquuntur, vel *quinquepartitus* interdum evadat. Cum videlicet antecedentis additur probatio: quæ si in Syllogismo pro parte habetur, hic quoque pars videtur esse. Verùm si cum Vossio dirimenda lis est, nullus est quadripartitus & hujus similis Syllogismus; quia probationibus admistis plures fiunt Syllogismi, ac pars quidem Syllogismi probata, sive major, sive minor, fit conclusio; probatio verò argumentum sive medium est. (ι) Nec aliud de *Epicheremate* habendum, quod non eo sensu nobis accipitur, quo Causiano (κ) aliisque est comprehensa ratio, cujus partes in unius velut propositionis corpus coalescunt. Sed ut Fabius (λ) describit, est ejusmodi Syllogismus, qui in majori & minori propositione adjunctam probationem habet, indeque jam *quadripartitus* dicitur jam *quinquepartitus*. At enim si ex adjunctis probationibus dimetiendus ille esset, non in quinque modò, sed quinquaginta etiam longeque plures succrescere posset partes: quare Vossium secuti simplicem vocabimus Syllogismum, annexis, sicubi res postulat, rationibus dilatatum.

§. XII. Neque verò nullius sunt momenti reliquæ id genus argumentationes. INDUCTIO certè ἐπαγωγή Græcis appellata, quæ ex pluribus rebus propter similitudinem infertur, insigne Oratoriæ decus est. Sic Tertullianus ille gentium terror, probaturus omnia in hoc mundo mutari, elegantî & copiosâ inductione utitur, à cœlo, terra, elementis hominibus desumpta (μ). Nec Seneca hic deficit, cujus Epistolas rectè orationes dici posse, ex *Epistolico MSO.* Morhofi edoctus sum. Ita enim navem perfectam describit (ν) *Navis bona dicitur non quæ pretiosis laboribus picta est, nec cui argenteum vel aureum rostrum est, nec cuius tutela ebore celata, nec quæ fiscis ac operibus regis pressa est, sed stabilis & firma & juncturis aquam excludentibus spissa, &c.* EXEMPLUM verò quod imperfectam inductionem Logici vocant, tanti non feci, ut recensendis ejus usibus locum relinquerem: eum & per se constet, quantum apud imperitam multitudinem efficiant.

B

Exem-

(η) Vid. Vossius *Instit. Orat.* I. 2. p. 316. (θ) l. c. L. 3. c. 5. (ι) vid. Tesmarus *Exercit. Rhet.* L. 1. c. 2. (κ) *Eloq. Sacr. & Prof. lib. 6. cap. 29* (λ) *lib. 5. cap. 14.* (μ) *Lib. de Pallio c. 2.* (ν) *Epist. LXXVI.*

Exempla, & peculiarem sibi classem in Topicis vendicent, ubi plenius expli-
cantur SORITES, quem acervalem Syllogismum Cicero dicit, parum abest,
quin hic prorsus omittatur, quia non modò infrequens apud Oratores, Caus-
sino teste, (ξ) sed cum figura dictionis Climace paria facit suumque in exor-
natione locum sibi vendicat, quæ à nobis impræsenti insuper habetur.
DILEMMA autem in oratione perquam eximium est, ac ad convin-
cendum mirificè conducit. Sic orationem, quam Gamaliel ad concilium
Hierosolymitanum de non interficiendis Apostolis habuit, tali conclusit
dilemmate: *Mittite homines si consilium quod habent, humanum est, sponte
dissolvetur: si à DEO profluxerit, idem illi resistere ac cum Deo pugnare putan-
dum est.* (ω) Ita in oratione Scythæ quam Curtius interpretatur (π) hoc
modo convincitur Alexander: *Si Deus es, tribuere mortalibus beneficia de-
bes, non sua eripere: Sin autem homo es, id quod es, semper esse te cogita.*
Elegans quoque illud memoratuque dignissimum Ciceronis effatum: (ρ) *Si
animus hominum est immortalis, gaudeo ex vita hac discedere nec errorem
mibi hunc dum vivo extorqveri volo; Si non sumus immortales futuri, tamen
extingvi homini suo tempore optabile est.* Major uti hoc loco ita sæpe nume-
ro omittitur, ne vel fastidium pariant auditorii vel artis mysteria eludant.

§. XIII. Sed istos argumentandi modos parvi ducimus: ad Elocutionem,
quippe spectant, nec omnes ejusmodi sunt, ut plenam orationis œconomi-
am dirigere queant. Integri potiùs suisque partibus perfecti Syllogismi ra-
tionem habemus, cujus verum usum non modo non neglexere Rhetores, sed
oppugnarunt etiam, nullumque præter Enthymema & Exemplum permitte-
re Oratori voluerunt. Eccur autem carere illò debeat oratio, quò ratio ipsa
& natura divinitus instructa est, & quì istud instrumentum, quod omnium
disciplinarum sustinet regimen, hujus non sit fundamentum? *Meminerint
studiosi Dresserus Maximus superioris seculi Rhetor ait; in quovis scripto u-
num esse principalem syllogismum, in quo explicando fere tota versetur oratio*
(σ). Qua in Palæstra viam præmuniit Freigius supra laudatus, nec deserunt
ejus vestigia quidam Pontificio cœtui addicti, eoque summum in eloquentiâ
fastigium conscendere nituntur.

§. XIV. *Demosthenes & Cicero inquit P. Ramus, mihi sunt & Diale-
ctici & Oratores; quod enim res perviderint Causis, quas agebant congruas &
consentaneas, quodque apto ordine collocarint, Dialectici sunt; quod tropis &*

(ξ) Lib. VI. Eloqv. c. 31. (ω) Act. V. v. 39. (π) Lib. VII.
c. 8. (ρ) In Caton. Maj. sub Finem. (σ) in Rhetor. Lib. I.
pag. 86. Vid. DN. WEISIUS. in Or. Polit. c. 4.

fig-
De
gifi
Illo
ur
pi
c
ill
fit
v
o
ju
p
n
c
f
l
t
t
f
l

figuris exornarint, Oratores sunt. (τ). Agedum videamus aliquam cum Demosthenis tum Ciceronis orationem quam principalis, & integer Syllogismus disponit, pulcherrimoque ordine dirigit. Occurrit verò *Olynthiaca* illa Demosthenis, quâ hortaturus Athenienses ut decretum Olynthis auxilium animis firmis ferant, consilium hoc pacto exequitur: Extenuat Philippi opes & potentiam, unde appareat, cum facile posse vinci. Syllogismus conspicitur clarissimè: *Cujus potentia & opes scelere perjurioque sunt parta: illa diu non consistunt: Philippi verò potentia & opes scelere perjurioque acquisita sunt: igitur facile destruentur.* Majorem velut certam sine probatione vel si mavis, amplificatione dimittit: *minorem* verò explicat per totam orationem, commemoratis pessimis Philippi facinoribus & diversis subditorum ejus studiis. Idem ex Ciceronis oratione pro Manilia evadit manifestum, quæ paulo aliter *Freigio*, nobis verò ita disponitur: Persuafurus Orator Romanis, ut Mithridaticum bellum Pompejo committant, principali Syllogismo causæ tractationem comprehendit: *cujus major; Bellum difficile & periculosum est gerendum per magnum Imperatorem. Minor: unus Pompejus est talis: itaque ille unus est Imperator eligendus.* Ex his *Minor* potissimum est controversa, ideoque probatio in id incumbit, ut planum fiat, Pompejum antecellere his rebus omnibus, quæ à summo Imperatore requiruntur, utpote scientia rei militaris, virtute, felicitate; *major* etiam suis accenditur luminibus, ut appareat, revera bellum istud tantum esse ut & celeriter sit suscipiendum, & non nisi peritissimo deferendum.

§. XV. Occurrit igitur in quovis Syllogismo aliquod, ceu vocant, *Crinomenon*, i. e. ejusmodi propositio Argumentationis, quâ probatâ, totius rei veritas in vado esse judicatur. Sic aliquando *Major* Syllogismi *Crinomenon* est, ut pro S. Roscio: *N. Filius sine magna causâ occidit Patrem.* *Sext. Roscius est Filius E.* De *Minori* dubium non est, sed *Majoris* probatio per integram orationem suscipitur (υ). Altero modo & sæpius quidem *Minor* in *Quæstione* est: Sic *Mazzarinus* apud *Priolum* (φ) plenis omnium votis in Senatu Reus læsæ Majestatis pronuntiatur, quod turbator publicæ pacis & hostis Galliæ fuerit. *Minor* verò in dubium vocata sic probatur: *Quia* Piraticam exercuit ex Ministro prædator factus; *quia* Gallicos thesauros in suam Italiam transvexit; *quia* Regiæ auctor pessimi semper consilii fuit; & *quia* in rudimentum regni animum Regis ex suo formavit &c. Quæ singulæ rationes alium atque alium Syllogismum constituunt, qui tamen ne appareat, nitida verborum supellectile obtegendus.

B 2

§ XVI.

- (τ) *Schol. Rhet. lib. 7. p. 233.* (υ) *Vid. Beck. in Orat. Ext. p. 112.*
 (φ) *de Rebus. Gallic. LVI. §. IX.*

§ XVI. Cùm de Tullii orationibus prorsus egregiè meritis sit Freigius, eodem quod ajunt cubito aliquam ex Livio (X) Concionem dimeticimur. Annibal enim cùm militibus Romanis pugna Cannensi captis redimendi se copiam fecisset: Romam miserunt illi ex numero suo decem, utque redirentur submisse postularunt: Thema hoc tractat orator: Capti hoc bello sunt redimendi A. Nos cum reliquis sumus capti E. Major videtur esse Crinomenon; hinc probationem suscipit (1) à causa deditiois necessaria. ubi ad removendam suspicionem ignavia extollit captivorum virtutem (2) ab exemplis majorum in bello Gallico & Tarentino. (3) ab adjunctis. Illorum in hoc spectata fortitudo quod capi quam fugere maluerint (4) ab effectis: hoc beneficio devincti fortius in posterum pugnaturi (5) à comparato cum emptis mancipiis. (6) à definitione: Quid sit capi ab hostibus acerrimis per Hypotyposin. (7) à Testimoniis votis & precibus amicorum &c E. Simile artificium ex Sallustii Justini aliorumque concionibus, ostendere, labor non esset, nisi definitæ chartæ brevitatis, inter hosce terminos me coereret.

§ XVII. De Sacra Eloquentiâ vel ideo non nihil addendum fuit, quod Severus Sulpicius in *Pref. de vitâ B. Martini* omnem fere oratoriam artem demittit Apostolis. *Meminerint*, inquit *salutem seculo non ab oratoribus, sed à Piscatoribus predicatam.* Quasi verò quod aliis exercitatio dedit, hoc Spiritus Dei illis suggere non potuerit, qui & *Deo didicisti* fuerunt, & dono loquendi prorsus singulari instructi. Præterquam enim quod integros hinc inde Syllogismos in sacris literis reperimus, qualis ille: *Qui ex Deo est verbum Dei audit, sed vos non auditis, ergo ex Deo non estis:* Omnia etiam ad amussim Logicam disposita esse, doctissimi quique cognoverunt. Sanè quam nervosè vel ex uno Scripturæ dicto Clasico queat erui Syllogismus, in Collegio Theol. Polemico Nobilissimus DN. WALTHERUS noster docuit plurimisque & optimis exemplis demonstravit. Ceterum Dresserus quoque (ψ) Pauli epistolam, quæ prima Dominica Adventus in Ecclesiis tradi solet, ita reddit dispositam, ut Principalem hunc Syllogismum ex Apostoli mente proponat: *Bona occasione decet bene uti: jam habetis occasionem optimam audiendi discendique Evangelii & veris cultibus DEUM celebrandi.* E. bene educendum. Ex his Minor & Conclusio, quæ est Epistolæ propositio; declaratione indigent. Idcirco tota epistola duabus hisce partibus continetur. I. Expositione Opportunitatis rei gerendæ. II. Adhortatione ad cultum divinum. Opportunitas rei gerendæ demonstratur (1) quia salus proprius adest

(X) *Decad. III. Lib. 4.* (ψ) *Lib. I. Rhetor. p. 86. Vid. Tesmar. Exerc. Rhet. L. 6. c. 1. It.: Wecker. Art. Orat. p. 165.*

adest nobis, quam eam credebamus. (2) quia nox præterit, dies appropinquavit (3). Quia Christus præsto est & indui potest. Ad cultum suadetur (1) quia vult ut expergiscantur à somno (2) abjiciant opera tenebrarum (3) induant arma lucis (4) ambulent in die compositè (5) Crapulam vitent (6) Christum induant (7) ne nimium corpus curent. *Ita ille.* Quod si ad doctrinam Topicam, unde sua orator argumentata depromit, dijudicetur: Dixerim primam partem à *circumstantiis*, alteram ab *Adjunctis* desumi, reliqua verbis & figuris Rhetori communibus ornari (ω) Psalmorum aliquot sacrorum ἀνάλυσις Tesmarus confecit (α): Sed quia Dialecticæ Legibus minus quam par est, se adstrinxit, minus etiam ἀνεπίβεια, censetur adhibuisse. Melius proinde, quando & accuratius negotium suscepit in *Medulla*, quam vocat, *Patrum*, Abr. Scultetus, ubi velut nucleo involvit diffusa Auctorum capita, collectisque illorum argumentis effecit, ut συλλογίζοντες propemodum Sancti Patres videantur.

§ XVII. Sed ut de modo erucendi Syllogismum constet non nihil: svadent Hermenevtici, ut perspectò, quem habet oratio, scopò, copiosa Periodi redigantur in tenues Logicorum Propositiones. In Funere Caroli IX. Gallia Regis, Orationem longe pulcherrimam coram Pontifice habuit Muretus, cujus antequam designetur Syllogismus, omnes paragraphos Logicè delineamus: §. 1. *Periculoso tempore moritur Carolus Rex.* §. 2. *Inde magnus oritur luctus,* §. 3. *Ipse Pontifex dolorem sentit* §. 4. *Nec indecorum nunc est lugere.* §. 5. *Quia maximum Regem amisimus &c.* Jam liquidò apparet, ex qua Paragrapho Major vel Minor construi debeat; adeoque talis eruitur Syllogismus: *Quandocunque Rex moritur tempore periculoso, tum maxime lugendum est, A. Jam moritur Rex tempore periculoso* E. Minor §. 1. continetur: Conclusionem §. 2. exhibet, cui annexa est conclusionis declaratio §. 3. Major in §. 4. conspicitur. Sed quæ nunc post §. 5. adferuntur, ad Minoris probationem spectant; *Crinomenon* enim, quo tota occupatur oratio in hoc consistit, ut demonstretur REGEM fuisse OPTIMUM. Quoniam verò altera orationis pars ut funebrium ejusmodi concionum methodus est, SOLATIUM continet; refutatur quodammodo Syllogismus ante allatus, vel ut mollius dicam, sic limitatur: *Quandocunque &c. tum maxime lugendum est (limit.) nisi is in cælo omni dolore superato triumphat, ac successorem æque bonum post se reli-*

(ω) Vid. David Pareus in Exerc. Philos. ubi Themata bene multa sic disponit. (α) in Exercit. Rhet. Lib. VI. c. 1. seq.

reliquit, *cujus auspicio res Galliae prosperae creduntur futurae*: Sed quia hoc, non est igitur amplius lugendum. Eadem velut amussi prima Mureti Epistola constructa est, quae editionem Epistolarum suarum procurare iussus ita recusat: *Quae Epistola nec Latini sermonis elegantia, nec Auctoris gravitate se commendant; illae non sunt edendae. A. Meae Epistolae tales sunt*. E. Majoris probatio initio ponitur, cum dicit, extare Ciceronis, Plinii, Senecae aliorumque Literas omni eruditionis genere refertissimas, unde infert, minus elegantium Epistolarum editionem non desiderari. Minor probatur *tum* quia omnes *ἀνταρχειασί* essent exaratae, *tum* quoque, quod ipse homoprivatus esset, nullaque doctrinae fama conspicuus. Sed deinceps revocat in mentem amici tam cari preces ac iterata vota, unde sic restringit Majorem: *Quaeque Epistola &c, illae non sunt edendae* (limit.) nisi amicorum precibus, quae apud me plurimum valent, satisfaciendum; & nisi timendum est, ne hominum quorundam proterviam colligantur illae, multaque labe coinquinatae divulgentur, Ita vero cum sit comparatum, passus sum me persuaderi, adeoque dabo operam &c.

§. XI. Equidem dubitant eruditi, an Oratores isti aliquod thema elaboraturi, mente Syllogismum sibi proposuerint exornandum, quo ordine à nobis *ἀναλύσεως* beneficio erui nunc potest? Ubi non diffiteor saepe orationis suscipi negotium, neque tamen de progressu elaborationis, nec de fine cogitari. At enim ut *colligendi artem* natura cuique mortali-um ingeneravit, ita vel sine cura accuratum *Syllogismi* artificium à quovis adhiberi existimo, ratione interim artis officium supplente. De antiquis in autem Oratoribus, aliud persuasum eruditus est. Et Ciceronem quidem scholis Dialecticorum fideliter instructum, praecipua dicendi artibus accommodasse, cum ex *Topicis* ejus, tum *perfecto*, quem inscribit, *Oratore*, abunde constat. Tyroni certe & eloquentiae studiis imbuendo injungenda est haec Syllogismi cura ac *Rationari prius, quam Rhetoricari, feliciter in hac arte versaturum decet*, ut Celeber. DN. KIRCHMAIERUS svadet. (B) Neque tamen exercitato & hoc progymnasmate exculto facessere negotium potest. Sicut enim Musici acquisita canendi facultate accurato chordarum tactu vel nescii defunguntur: ita etiam Oratores aliquo differendi habitu jam instructi, artis Dialecticae immemores, artem ne observando quidem exprimunt.

§ XX. Sed dum Syllogismum omnis oratoriae fundamentum ponimus, audio nobis objici nullum in Historia aut alia quacunque narratio-

ne

(B) in *Medull. Orator. c. III. p. 128. Vid. Cicero in Topic. I.*

ne hujus argumentationis vestigium reperiri. Illud verò convellitur facile, si ostendatur in omni rerum gestarum expositione ab Antecedente ad consequens concludi, nullamque conspici Periodum, quin certissima hujus rei indicia contineat: Quinimo cum duabus præcipue rebus absolvatur Historia, vel nude recensendo res gestas, vel Judicium & sententiosum axioma addendo; perspicuum est, axioma in ἀναλίσει ad Majorem, nudam rei narrationem ad Minorem Syllogismi Θεσ. spectare. Ad eundem modum actiones suas proponunt & libellos formant Jurisconsulti, tribus hisce partibus eos absolventes, quæ *Substantialia libelli* vocantur. Prima pars est narratio facti de quo agitur, estque minor in Syllogismo & causa appellatur. Secunda pars regulam aliquam juris continet, estque major Syllogismi, quia medium concludendi habet, hoc est causam recitat, cur aliquid postuletur. Tertia est conclusio, quæ ex præmissis aliquid infert aut petit, & quæ judex permotus suum officium interponit. Eandem in libellis supplicibus formandis rationem observant.

§ XXI. Ut proinde in ΣΥΝΘΕΣΕΙ usus Syllogismi reddatur clarior, observandum quod Vosius (γ) præcipit; Sæpe Syllogismi partes transponi, quin etiam inverso ordine collocari. Exempli loco est illa Tullii argumentatio pro Cælio: *In Cælio nulla est luxuries: Si quidem deditus est optimarum artium studiis; in ejusmodi hominibus nulla reperiri luxuries solet.* Syllogismus hic est, si partes debito ordine legantur: *Qui dediti sunt optimarum artium studiis, in iis nulla reperiri luxuries solet.* A Cælius deditus est optimarum artium studiis E. in Cælio nulla est luxuries. Idem in oratione pro Archia, locisque aliis abundè præstitit. Ceterum Agellius (δ) monet, in Platone multis hinc inde locis reperiri Syllogismos; repudiato tamen conversoque eo ordine, qui in dicendo traditur. In Poetis autem & Persio præcipue, qui adumbrare Stoicorum Disceptationes voluit integros non raro Syllogismos videas, ut: (ε) *An quisquam est alius liber, nisi ducere vitam cui licet ut voluit? licet, ut volo vivere: non sim liberior Bruto?* Unde apud eundem inibi Persium *Logica* propemodum Responsio additur hoc modo, *Mendose colligis, inquit Stoicus hic, aurem mordaci lotus aceto. Hoc (reliquum accipio) LICET ILLUD & UT VOLO, tolle.* Nec minorem ejus generis copiam in aliis passim Poetis repertum iri confido.

§. XXII. Restat ergò ut varias commutandi Syllogismi rationes ostendam, quibus rebus futurum opinor, ut dignum appareat exercitium, quod

(γ) *Instit. Orat. L. III. c. 5,* (δ) *Noct. Att. Lib. II. cap. 18.* (ε) *Sat. V. v. 80.*

quod vulgaribus istis Aphthonii Progymnasmatibus vel adjungatur vel profectò anteferatur. Novem Modos variandi recenset Radau (2); Clariss. DN. WEISIUS sex, easdemque potiores allegat (n), nonnulli plures, alii pauciores commendant. Igitur disponi solet Sylogismus eo ordine quo à Dialecticis ponitur, ita ut prius *Major* cum suis probationibus sistatur, deinde *Minor* itidem cum suis Rationibus, quam denique *Conclusio* excipit. Fingatur Rex quidam occidisse fratrem ex ambitione regnandi, & fiat Propositio: *Rex de jiciendus est; Ratio, quia est scelestus.* Dialecticum igitur hunc habet ordinem: *Scelestus nobis in regno ferendus non est, Atquè Rex est scelestus, Ergo in regno ferendus non est.* Ratio *Majoris* annectitur: *Quia fama læditur nostra apud exteros, apud quos honesti ac virtutis studiosi audivimus, contra nunc sceleris patròni ac servi diceremur.* Ratio *Minoris.* *Quia Fratrem occidendo fraudulentè in nos æque & in naturam injurius fuit. Quæ si venustà verborem supellectile instruantur; egregia inde conficietur oratio.* II. Ponit orator primo loco *Minorem*, cum ejusdem rationibus, deinde *Majorem* & rationes illius: tandem *Conclusionem* V. gr. *Mors viri magni dolenda non est. Ratio quia eam felicitatem, quam votis olim concepit, jam adeptus est.* Logicè ita: *Qui quod diu votis quæsit tandem adipiscitur, ille non est lugendus* A. hic *Vir magnus abitu suo eam felicitatem, quam diu expetivit, adeptus est* E. *Major Prob.* Quilibet enim vir prudens meliora sibi videtur exoptasse. *Minor Prob.* *Quia sæpe exoptavit dissolvi & esse cum Christo.* III. Elegans & maximè commoda est dispositio: si primo loco ponatur *Conclusio*; & huic *Minor* & *Major* cum suis rationibus subjiciantur. ut, in oratione Gratiarum actoria: *Cui datur dignitas omnis competitoribus aliis is magnas debet gratias; Sed mihi &c. E.* *Major prob.* quia tanto majus est beneficium, quo pluribus illud denegatum est, mihiqve tributum. *Minor, Prob.* *Ego quidem cum illis non comparandus sum sed tua benignitas id fecit, ut me præferret.* Ceteros argumentationis modos non placuit addere, cum supervacaneæ videantur rudes Logicæ dispositiones, quæ oratoriò habitu non exornantur. Sed quia id privatæ operæ est, publico labori imponimus

F I N E M.

(2) in Oxat. Extemp. P. I. c. II. Qu. 3. (n) Orator. Polit. Cap. IV.



Dum cathedram scandis pugnamque capeffis amicam
Ex animo studium laudat Apollo Tuum.
Culmina Doctorum subeas suprema Virozum,
Taliqve ex pugna magna brabea feras.

Johannes Strauch, D. h. t. Rector.

Est illustre bonum, credas, Oratio nostra,
Præ brutis Homini competit illa modo.
Ornat præ reliquis Homines Oratio pulchra,
Quæ Magnis, Mediis, post minimisq; placet.
Hanc autem pulchram facit Oratoria docta,
Quam colis egregiis, USCHNER amande, modis.
Perge? placere Bonis poteris sermone polito,
Et DEUS his ausis dicet adusque bene!

Johannes Deutschman D.

Nemo sapienter docet artem, nisi gnarus
Artis, veluti vulgus ait. Tu pariter, mi
USCHNERE, vacas his studiis labore multo,
Orator ut Ecclesiæ ab Eloquentiæ arte
Dicere aliquando, efficiens. Sequentur ergo
Præclara corollaria: laus, gloria, fama.

Georg. Casp. Kirchmajerus P.P.

Mavors saepe togæ studiis & flectitur arte,
Et svadæ flumen pectora docta regit.
Lingva hæc est victrix: Semel imperterritus Ajax
Non potuit Lingvâ vincere, saepe manu.

Conradus Samuel Schurzfleischius, P. P.

Epistolam à me petiisti, Uschnere, quam citra injuriam Tibi
negare non potui. Nam Tuo erga me affectui plurimum debeo.
Debeo Tibi & publico nomine: cum erecta Tua industria Reipubl.
olim multa commoda polliceatur. Quare beneficio à Te me sentio
affectum, ex quo causam dedisti testandi, me horum vivere memo-
rem. Valde verò gaudeo & Tibi impense gratulor de instituto pra-
senti: quod omnium utilissimum Tibi fore certò confidas. Si qui-
dem

C

dem

dem ars cum ratione & aptè dicendi, de qua disputas, semper de suis
cultoribus optimè meruit. Et, quæso, quid Jurisprudentiam ma-
gis juvat, quam ratiocinandi vis & eloquentia? Quis feliciter jun-
cta Impp. Leonis & Anthemii effata causarum fata ambigua diri-
met: lapsa eriget: fatigata reparabit; quinimo laborantium
spem, vitam & posteros facilius defendet, quam qui floridam et a-
tem instruxit copia benè disserendi? Bene verò ut hac ars exerceatur,
nec inanis, imò tertio nociva sit, iudicium, virtus, & uno verbo,
prudentia requiritur. Nam hinc demum, teste Cicerone Oratorum
& Actorum Principe, ad Rempubl. commoda veniunt, si moderatrix
omnium rerum præsto sit sapientia. Atque hac ubi est, laus, honor
& dignitas confluit. Ergo, Uschnere plurimum honorande &
dilectæ, utere hoc conjugio fausto artis Oratoria ac Jurisprudentia:
& hac quoque Te sequentur FELICITER! Vale & me redama.
Dabamè Museo d. 17. Calend. Decemb. A. 1683.

Tuus

quem nosti

ex affectu sincero

Johannes Carolus Nævius, D.

Politissime Doctissimeque Juvenis.

Quæ amoris & benevolentia indices habentur, literæ, jam non
nisi gratulandi beneq; precandi continent argumentum. Cum
enim minimè vulgatum artis oratoria caput sumpseris explican-
dum; vereor magnopere, ne quis à me, cujus consilia auspiciatus es ne-
gotium, vel in ipsis hisce literis quædam artis nostræ vestigia velit es-
se expressa; quando ingenui artificis est, & exemplo præmunire vi-
am, & ejus quam tradidit, opera primum exhibere monumentum.
Quod verò si minus fuerit præstitum, condonabunt mihi hanc cul-
pam mitiores rerum aestimatores, dum majorem modestiæ rationem
quam eloquentiæ habendam esse duco, nihilq; iniquius fero, quam in
exigui momenti negotiò audaciæ & temeritatis notam
mereri. Ut enim amplissimis semper divitiis instructi non sunt,
qui nummos maximiq; pretii monetam imprimunt, sed egestate la-

bo-

borant, & sorte nonnunquam vel iniquissima premuntur: Ita saepe
 nulla dicendi gloria pollet, qui rationem modumque dicendi tradunt,
 nemoque artem observat minus, quam qui maxime cupit observari. Ri-
 det quendam hominem Plutarchus, quod, cum ad fastidium usque bis-
 sisset, sculpturam de mumpoculi sit contemplatus: Sed majorem
 ille reprehensionem videtur incurrere, qui omnibus fere eloquentia
 fontibus delibatis, primam fluminis scaturiginem turpiter neglexit.
 Visum igitur est Tibi, Suavisime Commilito, secreta artis mysteria
 investigare, & fundamenti prius, quam aedificii exstruendi curam
 gerere, nec admittere architectum, nisi naturam ejus, unde exstru-
 at domum, fuerit scrutatus. Quare quod caput Epistola est, devote
 Tibi gratulor, faustumque & fortunatum hoc virium periculum esse
 jubeo, quo pulcherrimum eloquentiae & Philosophiae certamen subiisti.
 Proba masculam Tuam indolem, omni virtutum decore innutritam,
 & iis artibus imbuere animum Tuum atque expolire perge, quas
 aut non capit aetas nostra aut contemnit. Ego certe quam ob pra-
 claras ingenii dotes Te aestimo, tam sedulam quoque daturus sum
 operam, ut si minus in hoc studio, cujus ne minimas quidem partes
 expleo, in alio tamen officii studiique genere Tibi omnis inserviendi
 promptitudo constet. Vale. Dabam Witteb. Cal. Nov. 12. A. 1683.

PRÆSES.

Der die beliebte Frucht/ so Pflug und Sichel giebet
 Zum Kiegel/ Schlos und Rast in ewigkeit verdammt/
 Und dessen Vorrath mehr/ als seinen Nutzen liebet/
 Dem ist ein dommer Geiz/ vor Klingheit angestammt.
 Der die erlernte Kunst nur eignen Ohren heget/
 Schliest angezündtes Liecht im dunklen Schessel ein;
 Und der sein Wissen stets im stillen Busen träget/
 Dem muß die Kunst ein Slav/ der Fleiß ein Kercker seyn.
 Der kan das Widerspiel den klugen Fürsaz loben/
 Sodas vertraute Pfund/ mit Schweigen nicht vergräbt/
 Gewiß der Himmel hat den Bucher aufgehoben/
 Dem der wie Du nach Ruhm mit offner arbeit strebt.

M. Samuel Rhanæus
 Gramsd. Curlandus.

ES hilft dem Helde nicht/ gerüst im Kriege ziehen/
Wenn er nicht seinem Feind die Stirne biethen kan.
Vmb bloße Wissenschaft sich fast zu tode mühen/
Ist alles Thun und Fleiß vergebens wenden an.
Drumb wohl/ GeEhrter Freund/ muß nicht im Staube liegen/
Was seinem Schweiß gekost; es muß am Streite gehn.
Der Höchste gebe Glück und selbst-erwünschtes Siegen/
Und laß Gelegenheit zu höhern offen stehn.

Christian Trentsch / W. S.

INcluta cum virtus nunquam mergatur in umbras
Lethæas, rerum semper ad astra volet;
Virtutis tramitem dum calcas, sic & honoris
Ad templum, voveo, Gloria pandat iter!

Amico Amicus gmt abundius app.

D. G. S. B. S.

Nicht würde Tullius den Preis für andern haben/
Wann ihm die Svada nicht die Worte selbst geführt/
Daß was die Themis sprach/ würd' durch die Wunder-Gaben
Von dem beredten Mund mit Blumen ausgelehrt.
Drum muß/ GeEhrter Freund/ Sein Fleiß gerühmet werden/
Weil Er der Rede-Kunst und Anmuth nachgedacht.
Daß Er von Themis kan an Worten und Geberden/
Gleich als dort Tullius einst werden hochgeacht.

setzte solches aus treu-verbundener Freundschaft
glückwünschende

Caspar Theod. Neefe / J. V. S.

Humanum studium laus est didicisse labore
Sed doctis major cuncta probasse viris!
Quanta proinde tibi dicant encomia Musæ?
Id quia quod discis, differis in Cathedrâ.

H. S. Redslob.

20
Lit. Lat. rec. B 64, 10.

